



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 25. Sactio de privilegiis Fratrum Minorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

omisit per Procuratores suos se illi si-  
 stere. At Wenceslaus Bohemiæ Rex  
 ac filius ejus non comparuere, con-  
 tenti excusare se per tres Legatos, qui  
 pontificio in senatu libere negabant Re-  
 gem Dominum suum velle de corona  
 Hungarica litigare. Tum Papa eum re-  
 putans contumacem, declaravit Hunga-  
 riæ sceptrum esse hæreditarium, non  
 Procerum suffragiis obnoxium, idque Re-  
 ginæ Mariæ & Charoberto ejus nepoti  
 adjudicavit 30 Maji an. 1303. Verum  
 hæc sententia executioni mandata non  
 est: atque hoc regnum bello civili arde-  
 bat ut antea. Legatus Nicolaus Tarvi-  
 sinus, quod cerneret se nihil agere, Ro-  
 mam abiit relinquens Budam interdi-  
 cto affectam. Id observabant Parochi  
 & Religiosi, spernebant vero Sacerdo-  
 tes aliqui, divinum peragentes officium,  
 & Sacramenta publice administrantes.  
 Quin etiam processerunt eo audaciæ, ut  
 convocato populo & accensis lucernis  
 contenta voce diris devoverent Papam,  
 omnesque Hungariæ Præsules ac Reli-  
 giosos.

Sæcul. XIV.  
 A.C. 1303.

J. Thurot.  
 c. 86.

§. XXV.

*Sanctio de privilegiis Fratrum  
 Minorum.*

Sub idem tempus Papa Bonifacius san-  
 ctione

K k 4



Sæcul. XIV.  
A.C. 1302.

*c. 2. Extrav.  
com. de Se-  
pult.*

ctione quadam dijudicavit controver-  
sias Præfulum & Parochorum cum Or-  
dinibus Mendicantium de præconio ver-  
bi divini, de administratione Pœnitenti-  
æ, ac de sepulturis. Itaque pacis in-  
ter eos jungendæ causa statuit sequen-  
tia. Fratres horum Ordinum poterunt  
concionari libere in templis suis & lo-  
cis publicis, excepta hora, qua Præ-  
sules sermonem habebunt, vel haberi  
sua in præsentia curabunt. In templis  
parochiarum non dicent ad populum  
nisi rogatu aut permissu Parochorum.  
Fratrum Præpositi adibunt Præsules, ac  
demisse poscent, ut Fratribus, quos e-  
legerint, liceat operam dare confiten-  
tibus. Tum Præpositi deligent viros  
huic idoneos muneri, & hoc exercen-  
di copiam impetraturos sistent Præsuli-  
bus. Siquis rejiciatur, substituetur al-  
lius: si cuncti repudientur, nos, ait  
Papa, eis facultatem damus sedendi pro  
tribunali sacro.

Sepulturam Fratres apud se singu-  
lis, qui petierint, tribuere poterunt; sed  
ea lege, ut quartam partem omnium,  
quæ hoc nomine acceperint, Parochis  
tradant: qui vero nihil ultra exigent.  
Cæterum hortamur Præsules Parochos-  
que, ac volumus, ut Fratres benigne  
habeant, nec se duros eis præbeant &  
difficiles: alioquin sciant præter iram  
Dei.



Dei, quam sibi accerferent, sacram Se-  
dem huic rei provisoriam.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1303.

Anno 1300, decimo octavo Februa-  
rii Bonifacius decretum fecerat contra  
consuetudinem dividendi membratim  
cadavera Principum, cæterorumque di-  
gnitatis alicujus hominum, ut decoquen-  
do consumptis carnibus ossa in longin-  
quam regionem transferrentur, ut vidi-  
mus factum corpore S. Ludovici. Pa-  
pa hunc morem vocat barbariam dete-  
stabilem, quam omnino prohibet sub pœ-  
na anathematis in sic agentes, ac omit-  
tendæ ecclesiasticæ sepulturæ corporum  
ita concisorum.

Sup. lib. 86.  
§. 10.

§. XXVI.

*Bonifacius porro accusatur.*

Papa Bonifacius pergebat ostendere non  
satis factum sibi per responsa Regis  
Philippi: ut docent tres ejus epistolæ eo-  
dem die 13 Aprilis an. 1303 scriptæ; &  
prima quidem Cardinali Moinio; altera  
Carolo Valesio, quem appellat Comitem  
Alenconii; tertia Episcopo Antissiodo-  
rensi Petro Bellæperticano: aliasque per  
litteras Cardinali eodem inscriptas die  
declarat Regem incurrisse in anathema  
generale contra moratores cogitantium  
ire Romam. Haud probavimus, addit,  
excusationes, quas ille nobis proposuit

Differ. p. 95.  
p. 98.

K k 5 per